

monem illum, quærentem Spiritum sanctum emere pecunia, adeo tonarit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri*, Act. VIII. In quæ verba Sanctus Bernardus, epist. CCXXXVII. exclamat: *O vox tonitruum, vocæ magnificentiæ et virtutis? Ad cuius terrorem confundantur et convertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion*. Iisdem Sancti Petri verbis fulminantibus Leo IX. papa presbyterum quemdam, qui nomine episcopi cujusdam in Gallia, ob simoniam suspensi, absolutionem pecunia impetrarat, percussit, adeoque perculit, ut is, amissa mente, undique vagari cogeretur, nullibi consistere posset, apud Baron. anno 1047.

III. Paterfamilias in domesticos pestiferos et graviter Deum offendentes. Tamesti enim ordinarie suavitate magis quam auctoritate erga suos uti debeat, juxta monitum Ecclesiastici capite IV. *Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi*; tamen, ubi res postulat, in delinquentes rugire et tonare opus est, præsertim quando Dei honor aut proximorum salus ab eis impugnatur aut impeditur. Fecit hoc in primis ipse Christus Dominus, quando Petro passionem sibi dissuadenti respondit: *Vade post me, Satana, non sapiis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum*, Matthæi XVI. Fuit certe hoc tremendum tonitruum, justum tamen; quia vitæ Christi temporali tantum, non ejus gloriæ et salutis generis humani Petrus consulebat. Rursum, quando eidem Petro lotionem detrectanti dixit: *Nisi laveris te, non habebis partem mecum*, Joannis XIII. Quale tonitruum id fuit! Sic nimirum imprudentes et immergeri domestici, cum se patrifamilias opponunt, terrore et minis ad officium compellendi sunt. Quod et Sanctus Job fecit uxori (Job II.) quando eam sibi insultantem (quasi frustra Deum coluisset a quo tam severe castigaretur, ideoque dicentem: *Benedic Deo, morere*) corripuit hoc tonitruum: *Quasi una de stultis mulieribus locuta es, quasi diceret: Videris hanc stultitiam didicisse, ab Idumæis mulieribus, quæ si parum propitios habeant deos suos, conviciis et quandoque verberibus eos objurgant atque invadunt, quæ stultissima insania est*. Iisdem verbis objurgavit Thomas Morus conjugem, suggerentem sibi, ut impio regis Henrici decreto subscriberet ad redimendam vitam, appellando eam *stultam mercatricem*, quæ suaderet vitam decem aut viginti annorum præferendam æternæ, Staplet. in vita. Non minori laude objurgavit David filios Sarviæ, servos suos, quando ei vindictam de Semel, derisore suo, sumendam suadebant, seque ad id offerebant: *Quid mihi et vobis est, filii Sarviæ?* II. Regum XVI. in quæ verba Sanctus

Bernardus, sermone XXXIV. exclamat: *O vere hominem secundum cor Dei, qui se ulciscenti potius quam exprobranti succensendum putavit!* Tonabat idem in familiam suam, quando dicebat: *Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam*, Psal. C. quasi diceret: Proripiant se e domo mea capitosi, insolentes, inflati, et qui vestium luxui addicti sunt. Hac tonandi ratione resecan- tur putrida membra, et servatur corpus.

IV. Parentes in filios contumaces. Quod adeo justum, ut Deus, Deuteronomii XXI. præceperit, filios ejusmodi ab ipsismet parentibus ad portam judicii sistendos, et coram senioribus accusando, esse, quo lapidarentur ab omni populo. Horrendum est hoc tonitruum, quod proprios filios accusari jubet et tradi lapidandos populo; æquum tamen et justum: *In causa enim Dei, nec filium pater sapiens agnoscit*, ait ibi Rupertus. Et præstat filium hic puniri, quam in altero sæculo, aut deduci ad graviorens insolentias. Pia hæc est et paterna filiorum objurgatio, impia vero et crudelis conniventia. Scimus Noen maledixisse Chanaan, filium Cham, quod in ebrietate male cooperatus a Cham derisus esset. Sed cur Chanaan et non Cham? Causam ex Hebræo doctore affert Theodoretus, quæstione LVII. quod Chanaan avi sui nuditatem prior aspexerit et deluserit, moxque patri indicavit, qui filium, sicut debebat, non objurgavit, sed ipsum potius secutus, accessit, et patrem discoopertum aspexit. Ergo, quia Cham filium non corripuit, causa ipsi exitit vitæ maledictionis; a qua eum, si tonare voluisset, liberasset. Idem expertus est Hemor, vir potens, qui filium suum Sichem ob Dinæ raptum mox reprehendere et absterere debuisset; quod quia non fecit, se et filium in gladios filiorum Jacob impexit, Genesis XXXIV. Quod etiam sensit Heli, I. Regum II. et IV. Filius viduæ Sarephthæ ubi mortuus est? In blando matris sinu. Ubi resuscitatus? In lectulo Eliæ duro et aspero, III. Regum XVII. Ita nimirum blanditiæ parentum necant liberos, quos salvaret dura objurgatio et disciplina.

V. Proximus in proximum; sed quando? Respondit ad hoc abbas Pastor, in vitis pp. libro V. *Si aliquis voluerit te separare a Deo, pro hoc irascere*. Hac de causa tonabant plurimæ virgines contra tyrannos et procos, qui earum pudori insidiati sunt, uti Sancta Agnes dicens proco: *Discede a me pabulum mortis*: Sancta Agatha Quintiano: *Impie, dire et crudelis tyranne, non te pudet amputare in femina, quod ipse in matre suxisti?* Quæ proinde Apoc. XIV. dicuntur habere vocem *sicut tonitruum magni*. Quemadmodum enim apes non permittunt tangi alveare suum, sed spiculis id defendunt; ita debent virgines, si tangantur, de-

## CONCIO IV.

QUI MALE VEL BENE SUOS AD HONORES PROMOVEANT.

I. Promovent aliqui per viam potentiæ, sed male. — II. Alii per viam consanguinitatis. — III. Alii per viam munerum. — IV. Alii per viam humilitatis et virtutis.

## THEMA.

*Dic: Ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dextram, et unus ad sinistram in regno tuo*. Matth. XX.

In itinere, quo duxit Deus Hebræos per desertum versus terram promissionis, invenio eum tres vias, per quas penetrare conabantur, ipse interclusisse. Primo, viam montis, per quem ascendere volebant ad Chanaanos et Amalecitas, et per illos viam ac potentia sua perrumpere in terram promissam. Quam viam cum inirent contra Dei mandatum, cæsi ac repulsi sunt, Num. XIV. Secundo, per viam Edom, seu Idumæorum, quos tamquam fratres suos pro transitu rogabant, compellebantque dicentes: *Hæc mandat frater tuus Israel: Obsecrans, ut nobis transire liceat per terram tuam*. Sed renuit Edom, nec voluntas Dei fuit, ut per fratres suos transiret, Num. XX. Tertio, tentarunt per exploratorum viam penetrare ad regem Arad, et per illum in Chanaan. Nec istud voluit Deus, nam occurrit eis Arad, et victor existens, duxit ex eis prædam, Num. XXI. Videtur in his viis mysticum quid latere. Volunt sæpenumero magnæ auctoritatis viri clientes suos inducere ad honores et dignitates, quasi in terram promissam. lacte et melle manantem: sed multoties inducunt per vias Deo non placentes. Alii per viam potentiæ et violentiæ: alii per viam propinquitatis, quam in hodierno evangelio tentavit, frustra tamen, mater filiorum Zebedæi: alii per viam munerum. Prima est via montis, secunda via fratrum, tertia via exploratorum. Non vult Deus per has vias induci homines ad honores. Quod nunc videbimus.

I. Promovent suos aliqui per potentiam, quibus contradicere nemo facile audeat. Hi sæpe indignos evehunt, juxta id Prov. XXVI. *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii, sic qui tribuit insipienti honorem*. Olim in Mercurii statuas ponebant viatores lapides ad honorem ejus, sicut nunc quidam simplices mittunt lapides in sacras viarum columnas. Mercurius deorum ad homines nuntius erat habitus; unde nuntio: Sic errant, qui stultum evehunt ad dignitates. Septuaginta interpretes legunt: *Sicut qui alligat lapidem in funda*. Qui funda jaculantur, facile errant et innocentes lædunt: sic qui insipientes in altum evehunt ad

fendere pudorem suum, tonando, fulminando. Similiter si quis te consilio pravo, aut per adulationem ab æquo et bono abducere conatur, tu contra eum tonare incipe. Sic objurgavit Christus demones, quando eum vana adulatione laudare cœperunt. Ladislaus rex Poloniae assentatores suos etiam colaphis excipiebat, solitus dicere: *Percutientes me repercutito*, ad Conzen. lib. VI. polit. capite I. Denique, quemadmodum Moyses multoties detonuit contra Pharaonem detinentem a Dei servitio populum, sancta quadam ira contra illum accensus: ita qui se retineri in statu periculoso vel in servitute dæmonis deprehendit, tonare in detentorem et fulminare debet, si aliter se liberare ab illo nequeat. Sancta hæc est iracundia, qualem etiam exercuit Sanctus Franciscus Xaverius in præfectum Malacensem, qui ejus ad Sinas profectionem et tot animarum lucrum malitiose impedivit; tonando in eum verbis ac minis, fulminando denique excommunicatione, quæ certe hominem confecit, ut paulo post catenis vinctus velut perduellis in Lusitaniam abduceretur, ibique in lepra simul et infamia pauper obiret, ut in ejus vita.

VI. Denique, in seipsum quisque securissime simul et saluberrime tonabit, si in effrares suas passiones et vitia invehat. Id nos docere Christus voluit, quando increpavit ventum et tempestatem maris, et secundum Marcum, c. IV. comminatus est vento, et dixit mari: *Tace, obmutescet*. Exurgit ventus, cum te tentatio pulsat: commoveatur mare, cum inflammari ira vel alia turbaris passione. Hic te Boanergem ostende: impera mari et fluctui tuo, compece te ab iracundia, et redi ad quietem mentis tuæ. Sic egere viri illi Sancti Benedictus et Franciscus, quorum ille in spinis, hic in aquis nive et glacie gelidis sese castigavit, verberibus insuper se objurgans: « Eia frater asine, sic dedecet manere, sic subire flagellum: » S. Romualdus: « Quando eum, inquit Petrus Damiani, in ejus vita, ex aliquo esculentiori cibo gulæ vitium titillaret, mox accurate illum præparari præcipiens, ori et manibus apponebat, et solum captans odorem dicebat: O gula, o gula, quam dulcis, quam suavis tibi modo saperet iste cibus! Sed vae tibi, ex eo nunquam gustabis; et sic intactum ad cellarium remittebat. Ibi sunt Boanerges, quos viribus saltem vestris imitamini vos Christiani.

prælaturas et officia excelsa, graviter aberrant et plerumque nocent, neque leviter reipublicæ.

Fertur rex Galliæ Ludovicus, ut refert Holcot, in librum Sapientiæ, lect. CXX. quemdam interrogasse, cur modo non fierent miracula per episcopos et prælatos, sicut olim fiebant in Ecclesia primitiva. Cui respondit alter, causam esse, quod olim electiones episcoporum et prælatorum per spiritum sanctum, cujus est facere miracula, fieri solerent: modo autem fiant per reges et principes, qui facere miracula nequeunt.

Secundo, nocent etiam præter intentionem suam iis, quos promovent, quibusque bene volunt. Dum enim indignos evehunt, periculo damnationis et gravissimo Dei iudicio exponunt; adeoque dum eis litteras commendatitias præbent, agunt fere id ipsum, quod David egit cum Uria quando litteras inscio dedit, quibus mandabatur ut in apice exercitus, ubi prælium est fortissimum, poneretur, quo interiret, II. Regum XI. Promovent enim tales suos clientes ad apicem dignitatis, ubi maxima pericula lapsus sunt; quod aliud non est, quam promovere ad perditionem. Sane Jordanes secundus generalis ordinis Prædicatorum, cum quidam sui ordinis pater ab aliis commendaretur tamquam vir episcopatu dignus, intulit: *Mellem cum feretro mortuum ad sepulturam sociare, quam in cathedra antistitem videre sedentem*, Leander Albertus, in ejus vita, 13. feb. Discant hinc promotores, quales erogent gratias, cum indignis conferunt dignitates per viam potentis.

II. Alii per carnem et sanguinem promovent propinquos suos. Hac via tentavit Salome Zebedæi conjux promovere filios suos in hodierno evangelio, velut Christi propinqua. Verum audita non fuit: nec ad pontificatum elegit Christus discipulum aliquem, sanguine propinquum, sed Petrum, quem sanguine non attinebat. Propinqui amore suorum cœcati fere indignos promovent: interim, dum pro suis sollicitant, magis pro se laborant, ut ipsi per suos magni fiant, ut Sanctus Bernardus, libro IV. de consid. ad Eugen. scribit, capite IV. *Alius pro alio*, inquit, *alius forte et pro se rogat*.

Primo, isti offendunt imprimis Deum, cujus honorem negligunt, dum honori consulunt propinquorum. Hinc arguitur Heli sacerdos, quod magis honorasset filios suos, permittens, ut sacrificii primitias ad se raperent, quam Deum, ut ejus templum impollutum servaret. Unde S. Gregorius, in eum locum: « Filios et propinquos magis quam dominum honorat, qui ad sacros ordines personas eligit, non ex conversationis honestate, sed amore propinquitatis, etc. Non enim

prædicat sacerdos, ait idem, ut comedat; sed ideo ut prædicet, manducare debet. »

Secundo, offendunt rempublicam, cui etiam ad restitutionem tenentur damnorum quæ inde oriuntur. Ita Sapiens, Prov. c. XLVIII. juxta Septuaginta dicitur: *Qui spondet puerum imprudentem, injuria afficit justificationem*. Complutenses: *Qui spondet pro filio imprudente, injurias afficit justitiam*. Sanctus Bernardus, de moribus et off. episc. cap. VII. ait: « Scholares pueri et imberbes, ob sanguinis nobilitatem, ad ecclesiasticas dignitates promoventur, qui de sub ferula transferuntur ad principandum presbyteris, lætiores quod virgas evaserint, quam quod meruerint principatum. »

Tertio, ipsos etiam, quos promovent, quia ad præcipitium ducunt: non secus ac parentes illi filium gigantem, in vita Sancti Maclovii Scoti, ordinis Sancti Benedicti, de quo refert Sigebertus Gemblacensis, repertum ab eo in insula quadam cadaver gigantea statura, idque in nomine Christi resuscitatum retulisse, se a parentibus suis partim blanditiis, partim imperiis adactum, ut ex præalta rupe in profundam vallem se præcipitaret, ad honorem Tyrnæ dei sui, a quo immensam æternamque felicitatem perducendus esset, sicque se periisse corpore et animo. Quid agunt aliud parentes et potentes, quando promovent liberos, nepotes et consanguineos suos ad præaltas dignitates inidoneos, quam quod eos de rupe dant præcipientes in infernum, quos extollere satagunt?

Quarto, offendunt et seipsos, quod exemplo Sancti Udalrici episcopi Augustani patet, qui, ut quietus sibi et Deo viveret, eo adlaboravit, ut Adalberonem, nepotem ex sorore, in successorem promoveret. Qui tamen ingratus avunculo insolenter se gerebat; propter quod Sanctus Udalricus penitens, quadam vice quasi de somno evigilans, coram aliis dicebat: « Heu! heu! quod illum Adalberonem nepotem meum nunquam vidi, quia pro eo, quod ei consentiebam secundum desiderium suum, nolunt me beati recipere impunitum in suum consortium, » Berne abb. Augustiens. in ejus vita.

Laudandus in hoc in primis Benedictus, ex molitoris filio primo monachus Cisterciensis, deinde summus pontifex, qui adigi non potuit ut consanguineos, præsertim inidoneos, promoveret ad dignitates, dicens: *Nolle se lutum exornare*: item: *Pontificem Romanum consanguineos non habere*. Cumque urgeretur ut agnatos promoveret, respondit illud Psal. XVIII. *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*, ut refert Bzovius, anno 1335. Quinimo ipsemet, cum præ-

ter suam et cardinalium spem in papam esset electus, eis dixit: *Asinum elegistis*, sentiens se imparem tanto ferendo oneri, auct. eod. anno 1334. Laudandus et in veteri testamento Moyses, qui nequaquam filios suos sibi successores delegit, sed potius rogavit Deum, ut qui ipsi placeret, illum constitueret super populum, Num. XXVII. *Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, etc.* quia scilicet ipse spiritus et corda novit solus. Deinde: *Ut sciremus principatum in populos non sanguini deferendum esse, sed vitæ*, ait Sanctus Hieronymus, in cap. I. ep. ad Titum. Qui mox subdit: « At nunc cernimus plurimos hanc rem beneficium facere, ut non quærant eos, qui possunt Ecclesiæ plus prodesse, et in Ecclesia erigere columnas, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus majorum quispiam rogaverit, et ut deteriora taceam, qui, ut clerici fierent, muneribus impetrarent. »

III. Per opes alii et munera. Sic promovit filium Wenceslaum quindecim annos natum Carolus IV. imperator ad imperii culmen, qui singulis electoribus centum millia aureorum spondidit, ut filium eligerent. Cumque tantam summam ad diem solvere non valeret, publica vectigalia, imperatori ad subsidia relicta, eis non tam oppignoravit, quam perpetuo abalienavit ob filium turpissimum, postea ab imperio ob ignaviam dejectum, Dubrav. lib. XXII. Produntur isti, hoc ipso quod sic promoveantur, indigni esse promotione, ut qui suis virtutibus ad culmina dignitatum evolare nequeant, ideoque auri adminiculo debeant sustolli.

Laudandus hic Theodoricus Franciæ rex, qui mortuo Quintiano Arvernorum episcopo, cum clerus de successoris dignitate contenderet, et munera plurima ad regem afferret; Theodoricus Gallum virum religiosum et zelo Dei plenum, divino spiritu impulsus Arvernensis episcopum tradidit, muneribusque repudiatis, datis de publico expensis, festivo convivio cives, ob Galli futuri episcopi honorem, exhilaravit. Ita Gallus summo sacerdotio initiatus, postea gloriabatur et sancte, non plus se pro episcopatu donasse, quam unum trientem coquo, qui prandium pararat, Gregorio Turon. ejus patris auctore, l. VII. hist. Franc. apud Sur. et Lipel. 1. julii.

IV. Superest ergo ultima via, ut qui fugiunt dignitates, ad eas capessendas eligantur, quam suadet Sanctus Bernardus, loco citato. Quemadmodum umbra accendentem ad se fugit, fugientem sequitur: ita honor et dignitas desiderantem debet fugere, fugientem desiderare ei insequi. Ita Chrysostomus, homilia XXXV. op. im-

perf. *Primatus fugientem se desiderat, desiderantem se fugit*, ait. Cæmentarius, ut murum rectum et stabilem construat, lapides, qui nimis prominent, intrudit; et qui nimium intus latent, protrudit, ut fiat murus æqualis. Sic agendum videtur cum honorum collatione: qui honores fugiunt, ad eos protrahendi sunt; qui eos ambiunt et seipsos efferunt, arcendi et deprimendi. Sic Abrahamum in tabernaculo suo latentem Deus eduxit foras, promittens ei semen juxta multitudinem stellarum, Gen. XV. In quem locum Origenes, hom. XXI. in Num. ait: « Intuere quomodo justus intus est, et in interioribus semper consistit, quia intus in abscondito orat Patrem, et omnis gloriæ filiiæ regis intrinsecus est: sed tamen Deus educit eum foras, etc. » Sic eduxit foras ad episcopatum Lugdunensium e specu S. Eucherium Deo servientem. Defuncto enim Lugdunensi episcopo, cum successor quæreretur, ecce cuidam puer angelus apparens dixit, Eucherium quærendum tali loco, et episcopum constituendum. Quæsitus et inventus est. Verum eo nuntio cohorrescens, dixit archidiacono ad se misso, se nisi vi et vinculis e specu sua extrahatur, nunquam exiturum ad capessendum illud munus. Ergo archidiaconus, effracto spelunçæ muro, vi eum extraxit, et vinculis coercitum Lugdunum perduxit, omniumque consensu in cathedra pontificali collocavit. Refert Ado archiepiscopus Trevirensis, Sur. 16. nov. Bene ergo S. Bernardus, ep. CCXLVIII. scribit: « Si rebus raritas pretium facit, nihil in Ecclesia pretiosius, nihil optabilius bono utilique pastore: proinde sicubi talis reperiatur, confestim injiciendæ sunt manus, et totis viribus satagendum, ne qua vi, ne qua arte aut malitia fructuosa promotio valeat impediri. » Sic elegit Deus Moysen, invitum et recusantem, in ducem populi sui, et Sanctus Barnabas Sanctum Narnum in episcopum Bergomatum, quem etiam fugientem ab onere illo, Moysis, tandem Deo vocanti cedentis, exemplo vicit, ut in se susciperet munus, ut in ejus vita, 27. augusti. Sic Eugenius papa Sanctum Laurentium Justinianum vocans ad episcopatum Venetorum, bina vice dictis factisque resistentem, litteris tandem impulit. Qui Laurentius dicebat: « Tantisper gloriæ cupiditati ignoscendum, dum virtutem velut ancilla sequeretur, non autem quasi domina præcederet, » ut in ejus vita, 8. jan. Bernard. Justinianus, apud Surium. Atque isti demum præclare ut plurimum rem gerunt, qui inviti et coacti ad honorum culmina evecti sunt.

Quando igitur vidimus non placere Deo, ut per vias illas vetitas inducantur homines ad honorum culmina, superest ut per viam Deo placitam præ-

moveantur, qui honores fugiant, indignos sese reputantes, cum revera digni sint.

## CONCIO V.

QUA RATIONE QUISQUE AD MORTEM PARATUS ESSE DEBEAT.

I. Si liber a mundi amore. — II. Si purus ab omni peccato gravi. — III. Si liber a poenarum debito. — IV. Si instructus bonis operibus. — V. Si dispositam habens domum. — VI. Si paratam in caelo habens domum.

## THEMA.

*Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?*  
Matth. XX.

Magnus ille et sanctus cœnobiarcha Theodosius, cum aliquot sibi adjunxisset discipulos, et probe intelligeret, quantum ad eorum institutionem memoria mortis valeret, jussit eos fodere et struere sepulcrum; quo facto eos gratiose, ut solebat, allocutus, dixit: *Sepulcrum quidem paratum est; quis autem est ex vobis encœnia ejus celebraturus?* Ibi e discipulorum numero prodiit unus, Basilius nomine, sacerdos, qui ad pedes abbatis accedens: *Ego*, inquit, *hujus sepulcri primus celebrabo encœnia.* Hic petiit, ille dedit. Jussit enim Theodosius omnia ipsi fieri, quæ pro defunctis solent tertias, nonas et quadragenas vigiliis; quibus peractis, Basilius sine omni morbo ac dolore sopitus, obdormivit in Domino, et sepulcro suo encœnia dedit, nec sine approbatione divini numinis; quadraginta enim diebus postea visus est in choro fratrum horas sacras una cum eis decantare, Baron. et Metaphrast. apud Surium, 11. januar. Simile aliquid videre mihi videor in hodierno evangelio. Dixerat Christus suis discipulis ascendere se Jerosolymam ad suam passionem; quo audito, accedunt ad eum duo discipuli, Jacobus et Joannes fratres, petuntque ab ipso primas dignitates, ad dextram et sinistram ejus. Quid ad hæc magister Christus? *Calicem passionis et mortis eis proponit adeoque propinat, an ipsum encœniare et præ cæteris haurire parati et expediti sint.* Ad hoc illi sine mora: *Possimus*, inquit, *Et sane, quod promiserunt consecuti sunt.* Primi enim illi duo e numero apostolorum biberunt calicem Domini sui: Joannes, secundum animam, quando Crucifixo adherens, dolores ejus simul cum illo sensit: Jacobus, secundum corpus, quando primus ex apostolis martyrium subivit. Quid nos ad hæc, audientes? Quod discipulis suis Christus dixit, hoc

omnibus nobis dictum arbitremur: *Potestisne bibere calicem meum?* Estisne parati omni die et hora ad hauriendum mortis calicem, quandocumque vos evocavero? Certe esse debetis, quia: *Qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Quare videamus, quid ad istam resolutionem a nobis requiratur, ut semper ad hoc parati simus.

I. Liberne et expeditus se ab omni mundi amore? Hic enim si te ex parte aliqua affixum tenet, non es aptus regno Dei. Audimus enim Joannem dicentem, I. Joan. II. *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* Non potest Deus amari simul et mundus: qui autem Deum non amat, caelo, Dei habitaculo, indignus est. Qui in lucta vincere vult, vestimenta exuere debet, ne retineri queat: cum morte luctandum est, nudo luctatore: nudus igitur et ille sit, qui vincere eam vult. Cur Elias, e mundo discedens pallium abjecit? Ad hoc Sanctus Hieronymus, epist. XXXIV. ad Julianum, ait: *Elias ad caelorum regna festinans non potest ire cum pallio, sed mundi in mundo vestimenta dimittit.* Consentit Sanctus Ambrosius, lib. VIII. de virginibus, ubi explicans id sponsæ Christum quærentis: *Tulerunt pallium meum*, inquit: *Bene tollitur ei pallium; quæ ad Christum propinquat, ut, Deum visura, mundo corde gradiatur.* Ergo qua facilitate exuis vestes, cum vadis cubitum, eadem exuere mundum oportet, cum moriendum est; quomodo Reginaldus Polus, laudatissima vite cardinalis, dixit: « Jamdudum hujus vitæ tædio affectus, mortem optavi: » et cum Henricus (Angliæ rex ipsius vitæ insidians): « Tanto eam studio efficere contendat, nihil aliud facit, quam si eunti dormentium vestimentum detrahare conetur. » Sander. l. I. schism. Angl. Erant etiam tales, et vel maxime SS. Nereus et Achilleus, cum Domitilla martyres, de quibus S. Gregorius, homil. XXVIII. in evangel. scribit: « Sancti isti, ad quorum tumbam consistimus, florentem mundum mentis despectu calcaverunt. Erat tunc vita longa salus continua, opulentia in rebus, fecunditas in propagine, tranquillitas in diuturna pace; et tamen cum in seipso floreret, jam in eorum cordibus mundus aruerat. » Quamdiu racemorum styli nondum aruerunt, non sperandum dulce vinum: styli enim virides, acri succo pleni, dulcedinem vini, cum premuntur, corrumpunt. Ita prorsus cor tuum, si mundo necdum aruit, sed ejus succo acerbo adhuc imbutum est, acerbam simul et funestam tibi faciet mortem. Vi etiam abrupti debent ab arbore, poma velut immatura, quæ nexibus adhuc viridibus arbori adherent: matuta vero, quorum styli jam aruerunt, sponte sua decidunt. Egredere quoque et difficulter moriuntur, qui mundo adhuc addicti sunt: facile e contra

et cum gaudio, quibus mundus aruit: qualis Sancta Monica, quæ mori cupiens, filio Augustino dixit: *Fili, quantum ad me attinet, nulla re jam delector in hac vita: quid hic facio?* Augustinus, lib. IX. confess. cap. X. Vide jam, an hoc ipsum dicere et tu possis; an e contra te retineat uxor, liberi educandi aut matrimonio collocandi, opes, honor, neminis celebritas, familiæ propagatio et exaltatio, chari amici, voluptates et delicia hujus sæculi. Vide an adhuc respicias ad Sodomam: sic enim caelo immaturus et ineptus es, statua hujus mundi es.

II. Mundumne est cor tuum ab omni gravi peccato, et rectum erga Deum? Habuit aliquando Jehu rex Israel obvium sibi Jonadab, et ait illi: *Numquid est cor tuum rectum, sicut cor meum corde tuo?* Et ait Jonadab: *Est. Si est, inquit, da manum tuam. Qui dedit ei manum suam. At ille levavit eum in currum, dixitque ad eum: Veni mecum.* III. Reg. X. Nemini Deus porriget dextram, neminem levabit in currum gloriæ suæ, nisi qui habuerit cor rectum, cum corde ejus per omnia consentiens; quod ipsum tamen non ore tantum, sed manu quoque et opere demonstrandum est. Nullum ergo peccatum grave, quod Dei amicitiam tollat, in te esse debet; nullus pugio, quo ejus vitam seu honorem petas. Sane Matth. XVIII. regulam hæc proponit Christus ad capiendam beatitudinem: *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum:* Marci vero XIX. *Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.* Scimus enim parvulos nescire peccata, nec ad ea affici quidem. Vide nunc, an tu hujusmodi parvulus sis. Certe Sapiens, Proverb. XX. aperte dixit: *Quis potest dicere: Mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Nemo enim hoc scit infallibili certitudine. Quis etiam seipsum justificare facile audeat, quod nihil habeat simultatis contra aliquem? Nihil prorsus boni injusti? Nullum peccatum alienum? Nullum occultum? Hinc enim David sibi metuens, Psal. XVIII. ait: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo: rursus, Psal. XXIV. Delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris, Domine.* Licet enim hæc in nobis non cernamus, cernit tamen, si adsint, perspicacissimus Christi judicis oculus, ut apparet ex Apoc. cap. I. et II. ubi pene in omnibus Asiæ minoris episcopis (primis illis tam sanctis) reperit nævum aliquem, et exprobrat verbis illis: *Sed habeo adversum te pauca, et similibus.*

III. Nihilne poenarum debes pro dimissis tibi tanto numero peccatis? Tantane sunt opera satisfactionis tuæ, quanta sunt peccata tua? Grandi

ære Deo obstrictus es; aut ibi solves, et ibi quidem rigidissime. Vide si jam solveris. Joannes ille sanctus et celeberrimus monachus, cognomento Antiochus in quodam Ponti monasterio, uti refert B. Climacus, gr. IV. « Prima nocte, qua cœnobium ingressus est, vidit quosdam per somnium a se rationem exigere. Tandem post terribile id horrendumque examen, debere se reperit centum auri libras. Expergefactus itaque, visumque dijudicans, ait: Humilis Antioche, (hoc enim erat ipsi nomen) vere gravi ære oppressi sumus alieno, plurimaque persolvenda restant. Sic igitur in cœnobio, inquit, permansi annos tres, obediens omnibus nihilque discernens, cum me omnes spernerent, atque ut peregrinum injuriis afficerent. Neque enim erat ibi præter me peregrinus aliquis monachus. Post triennium vero rursus in somnis aspicio quemdam, qui decem debiti mei libras abolitas ostendit. Expergefactus itaque intellexi visionem et dixi: Decem solummodo libras persolvi, et quando impleturus sum reliquum debitum? Tunc ad meipsum dixi: Humilis Antioche, ampliore labore et ignominia opus habes. Ex tunc itaque me amentem et fatuum simulare cœpi, nihil tamen ministerii mei penitus omittebam. Quocirca in tali me ordine atque alacritate cernentes, immites patres cuncta mihi monasterii gravia opera injungebant. Cum vero in hoc instituto vitæ tredecim annis perdurassem, vidi eos, qui antea mihi apparuerunt, rursus ad me venire, totiusque debiti solutionem impletam ex integro ostendere. Cum igitur in aliquo me vexabant monasterii monachi, debiti mei statim reminiscebar, atque ita fortiter ferebam. Ista mihi sapientissimus Joannes, veluti ex alterius persona enarravit, ideoque se esse Antiochum cognominavit. » Sic ille. Non minori debito plurimi videbunt se obstrictos esse, et parum exsolvisse usque ad hanc horam, plurimum adhuc debere, si intrare suas conscientias velint. An igitur cum tanto ære audebunt bibere calicem mortis, et coram rigido illo judice, qui etiam novissimum quadrantem exigit, sistere se in judicium? Intellexit hoc sancta illa virgo Constantinopolitana Euphrasia, quæ in monasterio sanctissime Deo serviens, ad alteram, tametsi beatam, vitam evocata, instanter petiit, ut vel uno adhuc anno posset agere poenitentiam et delere culparum suarum reatus: dolens vehementer, quod necdum, ut putabat, satis eos expiasset: « Domine Jesu, dicebat, dimitte vel unum annum, quatenus defleam peccata mea, quia sine poenitentia sum: non est in me opus salutis, etc. » ut habet noster Rosweidus, apud Sur. 13. martii, num. XXXI. et in vitis pp. lib. I.

IV. Tantumne tibi æris, hoc est, bonorum operum est, ut emere cœlum possis? Nimis frequenter audimus in ss. litteris cœlorum regnum labore expugandum, et meritis comparandum esse, ut non opus sit testimoniis. Virgines illæ fatuæ cur expulsæ sunt e nuptiis cœli, nisi quia oleo bonorum operum sufficienti caruerunt? Quæ autem oleo instructæ, adeoque paratæ erant, intraverunt cum sponsis ad nuptias. Justiniano imperatori mortuo instrata vestis stragula fuit, in qua phrygio opere textæ victiarum urbium et barbarorum regum, quos ipse suis auspiciis debellarat, effigies erant, Baron. ad annum Justin. 39. Toti mundo hoc documentum erat, nemini fidelium, tametsi imperatori, ad alteram et beatam vitam aditum patere, nisi per virtutum strenua opera, quæ quis designaris vivens. Quid igitur? Fidis tibi et meritis tuis, ut possis bibere calicem mortis eisque cœlum emere? Petro illi telonario, qui ex indignatione panem unum projecebat in mendicum, sequenti nocte in visione, cum appenderentur in bilancem una cum pane illo peccata ejus, et lanceam adæquarent, dictum esse divinitus scimus, ut iret, et adjiceret plures alios panes, si salvari cuperet, Maurosque illos evadere, qui eum rapere ad gehennam moliebantur, apud Leontium, in vita Joannis eleemosynarii. Gravissime impegerent Ephrathæi illi, qui vada Jordanis a Galaaditis, adversariis suis, occupata transituri, non recte pronuntiarunt vocem *scibboleth*, quæ significat *spicam*. Omnes enim jugulati sunt in ipso Jordanis transitu, si vel unicam litteram C. omiserunt, dicendo *scibboleth* pro *scibboleth*, Judic. XII. Jordanis *fluvius judicii* exponitur: et quid nisi Dei judicium representat? Ibi omnes Ephrathæi (Latine *frugiferi*) omnes Christiani, qui fructiferi esse debent, de spica bonorum operum interrogabuntur. Quam nisi proferre et quidem sine errore queant, væ illis; in ipso enim mortis transitu peribunt. Habent quidem et designant pene omnes Christiani sua quædam opera bona: orant, jejunant, dant eleemosynas, templa frequentant, confitentur, etc. sed an ex omni parte sana et illabata? An bona intentione? An libere et hilariter? An ex motivo cœlesti facta? Quid enim si vitientur vana gloria, quæ plerumque insidiatur bonis operibus? Spicæ erectæ, vacuæ et inanes sunt, curvatæ desiderantur: talia etiam opera Deus requirit humilitate ornata; alioquin non erunt *scibboleth*, sed tantummodo *scibboleth*. Quis vero promittere sibi ausit, se opera sua bona fecisse omnia bene et sine aliquo nævo? Possumus ergo bibere calicem?

V. Disposuistine jam domui tuæ, ita ut nihil rei domesticæ tibi impedimento ad salutem sit?

Audimus certe hoc a Deo mandatum Ezechie regi, Isaia XXXVIII. *Dispone domui tuæ, quia morieris tu et non vives*. Quæ hæc dispositio? Testamentum, ubi necesse est aut expedit, condendum, debita indicanda et solvenda, inimicitie deponenda et concordia stabilienda, bona aliena restituenda, læsis satisfaciendum, servis quoque et operariis merces assignanda, denique præ omnibus animæ providendum de salutaribus remediis summa cura et industria. Fecistine hæc omnia? O quam rari tales! Quanta in confusione et rerum turbatione plerique moriuntur; de illis, quæ diximus, nihil plane solliciti! Convenit his prædictio aut imprecatio illius Eliu, apud Job, cap. XXXVI. *Morieatur in tempestate anima eorum, et vita eorum inter effeminatos*. Ubi Divus Hieronymus ait: « Viciosos et vitia esse noverimus, quæ sicut de virtutibus animi nihil in se habent quietum, virile et frugi, sed totum turbulentum, remissum et fragile: ita necesse est, ut velut tempestate animam semper suis illecebris inquietent, portumque virtutum hominem non sinant apprehendere: et fit istis talibus fluctibus, quod Salomon ait, ut jaceat anima tamquam in corde maris velut gubernator in magna tempestate. » Ut ergo talis gubernator despondet animum, et omnis consilii inops tandem cum navi sua perit: sic istis, heu contingat necesse est! Quas enim maledictiones sibi parit apud homines, quibus damno fuit et non satisfecit? Non minores sane, quam is, qui non soluta hospitali tessera, ex hospitio discessit. Et quos gemitus in cœlum non emittunt liberi, quorum hæreditatem parentes prodegerunt? Quomodo hi Deum ad iram non provocabunt? Quomodo non ipsi seipsums condemnabunt, qui in extrema vitæ periodo de animæ remediis sibi non providerunt, vel languide nimis et obiter? Quis tam stultus est, ut inermis hosti se objiciat? Maxima sane fuit Hebræorum incuria et stultitia, qui habentes a tergo Philisthæos hostes, et prælium sibi instare sentientes, suorum tamen defectum armorum, aut non videbant, aut non curabant; si quidem fabros nullos sibi constituerunt, qui arma ipsis cuderent, I. Regum XIII. Multo gravius desipiunt, qui diem mortis (quem merito diem prælii omnium periculosissimi dixeris) sibi brevi affuturum, non dubitantes, nulla sibi comparant spiritualia præsidia, quorum inopia laborant; nec procurant sibi fabros talium armorum, confessarios videlicet. Et qua ratione audent sine his armis se tanto prælio committere? Quomodo calicem illum bibere? At fortasse dices: Remitte hanc præparationem ad ipsum mortis tempus. O miser et insane! Quomodo hoc ages, cum tibi inter angustias nullus pene erit sensus? Dic enim

sodes, si cui bellum adeunti suaderet amicus condere testamentum et providere domui suæ; ille vero diceret, se sub ipso prælio hæc bene peracturum, inter armorum strepitus et cadentium cattervas; quis hunc non rideret? Nihilo magis sapias, si in ipso demum mortis conflictu disponere velis domui tuæ.

VI. Providistine domui tuæ, quam in altero sæculo sortiturus es? Ut enim hinc in Dei gratia discedas, valeat tamen probabiliter in purgatorio tibi ad tempus divertendum erit, ob reatus aliquos nondum persolutos. Quid igitur provisionis huic domui præmisisti? Jacobum illum patriarcham scimus, cum quatuordecim annis socero serviasset, abiturientem dixisse: *Justum est, ut aliquando provideam etiam domui meæ*, Genesis XXX. Multo justius est, ut nostrum unusquisque, brevi hinc migraturus, provideat domui suæ, in quam ibi se diversurum metuit. At vero plerique divites liberis et amicis omnia sua relinquunt, parum aut nihil pro salute sua egenis legant, qui profecto male sibi consulunt. Quid enim sperent remedii a filiis, cum ipsi sibi non provideant, quomodo ab amicis obtineant, quod a se ipsis, dum viverent, obtinere non potuerunt? Nemo teipso tibi est propinquior; nemo ergo tibi fidelior. Perspicuum hujus rei exemplum in Lusitania tritum recenset pater Benedictus Fernandus, in cap. L. Genes. in his verbis: « Mortuus quispiam est, qui summis in vita laboribus ac sudoribus copiosam admodum filio substantiam reliquit: lætus quidem sibi blandiens, quod filium relinquebat divitem, qui et patris conscientie onera levaret, et animæ in purgatorio agenti per eleemosyna divinaque sacrificia opem ferret, atque adeo patris testamentum exequeretur integre. At miserum sua fefellit opinio. Filius quippe prorsus immemor patris, nec illius testamentum curavit, nec animæ vel unum sacram, aut obolum stipis erogavit. O plane saxum! O stipitem! O seram! Vicinus ergo, qui patri mortuo amicum fuerat, adolescentem objurgat, quod nullam defuncti patris, a quo amplum acceperat patrimonium, haberet curam, nullam omnino re-

cordationem. Quid vero iste? Non patris (inquit) memini, patris curam non habeo: nec ubi et quomodo agat, mea interest. Nam si jam cœlo pater donatus, fruitur Deo, nullius a me indiget subsidii; si vero damnatus apud inferos cruciatur, nulla jam est redemptio; frustra fient quæcumque pro illius anima filius efficiam. Denique, si lustralibus flammis in purgatorio torquetur; cum si jam sempiternæ salutis omnino securus, patienter ergo sustineat, quoadusque solutus in cœlum evolet. O dedecus! O barbariem! O insaniam! Sed tamen o dignam tam stulto homine pœnam, qui seipsum vivum negligens sui demortui curam aliis commendat! »

Quando igitur vidimus non esse parvi rem momenti morti se exponere, adeoque cum Jacobo et Joanne dicere: *Possumus bibere calicem mortis*; superest, ut nobis eas vires comparemus, quæ ad haustum hunc faciendum necessariae et proficue sunt. Magna et stulta temeritas est illorum, qui parum aut nihil de morte sua cogitant, quasi ludus parvulorum sit et paucis expediri possit, cum contrarium viderimus. *Vigilate, vigilate*, ait Dominus, et sæpius idem repetit, cum de mortis hora loquitur. Publii illius mimi sapientissima vox est: *Deliberandum est diu quod statuendum est semel*. De morte autem apostolus ait: *Statutum est omnibus hominibus semel mori*, ad Hebr. IX. Diu ergo deliberandum quomodo moriendum sit. Bene morimur, si præmeditate cum debita provisione; male, si improviso. Erravit ergo Augustus imperator, qui improvisam mortem velut felicissimam sibi optavit. Improvidos enim mors aggreditur ut latro et prædo: vigilantes autem et providos non aggreditur ut prædo, sed evocat ut regius nuntius ad bona æterna. Ita ait S. Chrysostomus: « Ne desperemus, tom. V. dies Domini non secus ac fur quispiam dormientibus nobis inopinato incumbit: vigilantibus vero nihil obsistit, neque abducat imparatos, neque excitatos et abstinentes aggreditur ut prædo: quin uti regius nuntius evocabit ad bona illa longe antea parata, etc. » quæ nobis largiatur Deus.